DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

SANGUINE MITTENDO

COMPLECTENS.

12

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

SANGUINE MITTENDO

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES CHURTON,

ANGLUS,

SOC. SOCIET. REG. MEDIC. EDINEN. EXTRAORD.

" *Avertit morbos; metuenda pericula pellit.*"

Horatius.

Die VIII ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXII.

Last (blank) leaf wanting
See T. 1126.8

VIRO SPECTATISSIMO

THOMÆ CAROLO HOPE, M.D.

IN ACADEMIA EDINENSI

CHEMIÆ PROFESSORI,

HOC OPUSCULUM

SUMMA OBSERVANTIA

SACRAT

JOANNES CHURTON.

NECNON

JOSEPHO CHURTON Armigero,

SUO PATRI CARISSIMO ET AMICO OPTIMO,

SACRAT

JOANNES CHURTON.

Nulla occasio melior, Pater carissime, unquam mihi foret grates tibi persolvendi pro beneficiis, quibus me semper donasti; nec mihi in animo est hoc tempore aliud offerre, quam animum in te gratissimum et servantissimum, pro cura et solicitudine quibus, meam aetatem teneram fovisti et defendisti, et juventutem omnium bonarum artium amore imbuere conatus es. Vale.

Subjectum istud medicinae (corpus nimirum humanum) ex hominibus, quae natura procreavit, maxime est capax remedii; sed vicissim illud remedium maxime est obnoxium errori. Eadem namque subjecti subtilitas et varietas, ut magnam medendi facultatem praebet, sic magnam etiam aberrandi facultatem.

Bacon. de augmentis Scientiarum, cap. secundum.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

SANGUINE MITTENDO

COMPLECTENS.

Quum nemini medicinae summos honores ambituro, aliquid ad artem medendi pertinens non sit scribendum, cumque tanta luce hanc multi nuperi illustraverint, et tot incrementis ditaverint et auxerint, nil fere tandem nondum tentatum restat; sive quis intima medicinae penetralia, sive ejus extimos fines explorare velit. Ideoque non scribendi cupiditate, aut spe novae cujusvis rei edendae adductus, sed oblatae occasioni obsecu-

tus, de sanguine mittendo pauca disputare statui; et quaecunque de hoc utili argumento a summis auctoribus tradita, memoratu digna viderentur, quam luculentissime potero, explicare.

Sanguinem, caesa vena, mittere novum non est. Imo vix dici potest, quisnam ex vetustissimis primus omnium id fecerit, ad valetudinem adversam tollendam, aut secundam tuendam.

Plerique tamen Podalirium Machaonis fratrem hac palma donarunt; quem Agamemnonem in bello Trojano secutum, primum omnium sanguinem, incisa vena, detraxisse ferunt. Hunc Homerus * illustrandi cupidus, Aesculapio natum cecinit. Neque vero non est †, cur credamus quosdam ante Podalirium hoc auxilium fuisse expertos.

Detractio sanguinis, imperito venam feriente, periculo non vacat; imo plures in vi-

* Ilias. † Waulbaum de Venaesectione.

tae discrimen duxit. Quo factum est, ut Van Helmontius aliique, hujus rei memores, quam saepe testari iis contigerat, omnino hoc remedium ablegaverint. Ille sane praeclarus vir, inflammato pulmone, succumbere quam id experiri maluit.

Alii contra, mira ejus potestate et virtute perspectis, quicunque fere subesset morbus, venam secare non dubitaverunt. Ex his praecipui sunt Botallus, Bontokius, et horum aemuli.

Plerique ex medicis *Rationalibus* et *Pneumaticis* saepenumero sanguinem aegrotantibus detrahere solebant. Potissimumque inter hos Hippocrates, Galenus, Aretaeus, Diocles, Heraclides, Coelius Aurelianus, Asclepiades, Celsus, Leonardus et Sydenhamus: et inter *Mathematicos*, Bellinus, Oederus, et Pitcairnus, sunt habendi: qui prae caeteris hoc auxilio utebantur, et de eodem amplissime scripserunt.

Medici *Mechanici* sanguinem mittere consueverunt, eo ut *molem movendam*, quoties

haec potestates motrices superaret, imminuant.

Qui humorum *Pathologiam*, quae vocatur, amplexi sunt, quoniam pro comperto habebant causas omnium fere morborum continentes sanguini subesse, raro non hunc, icta vena, mittebant: quem scilicet perscrutati morbi causam cognoscerent, et inde de ejus eventu, et iterum necne venam ferire liceat aut oporteat, judicarent.

Hodierni, rejectis istis rationibus vanis, usuique et experimentis confisi, quomodo moveantur venae, notare solent; et concitentur an sedentur comperiendo, intelligere an juverit aut sit profuturum hoc remedium; et quousque ad levandos, arcendos, aut praecavendos morbos valeat.

Ipsius naturae molimina saepe satis manifeste medicum edocent, quatenus ars imitatrix hos nisus adjuvaret. Nullo aevo medicos latere poterat, sanguinem sua sponte profusum quosdam morbos urgentes levare, venturos praecavere. Sanguinis e naribus

cursus multum operae confert ad quaedam capitis mala lenienda, sanguine ultra modum ad cerebrum, delato oriunda; nimirum capitis dolorem, vertiginem, delirium, et alia ejusmodi. Medicinae * pater, quo nemo melius eventus futuros morborum praesagivit, tradidit, si qua sanguinem evomit, hanc menstruis profusis esse expediendam. Quem Galenus imitatus nos monet, ut naturae duci obsecuti, isto malo † occupatis sanguinem incisa vena mitteremus.

Quidam vero timidi aliquanto parcius, alii inconsulte temerarii, paulo audactius hoc auxilio usi, utrique non levi culpa vacarunt. Hodierni profecto satis libere, nec sine maximo fructu persaepe venam incidunt. Quidam sane apud Gallos adeo temere et inconsulte id facere soliti sunt, ut quaesitissimo lepore et facetia praeclari illius Le Sagii acerrime et jure reprehenderentur.

* Aph. xxxii. Sect. 5.

† De Sang. Miss. enarr. L. II. c. 3,

Tantum in morbos complures valet sanguis detractus, potissimumque inflammationes viscerum, ut singula ad hunc pertinentia probe novisse, permagni medicorum intersit: quando scilicet et quousque mitteretur sanguis; quae hoc faciendum, quae praetermittendum indicent. Venam enim intempestive et temere ferire non minus nocet, quam idem prudenter, apte et tempestive factum opitulatur. Ex altera igitur parte, vigilandum, consulendum matureque agendum; ex altera vero, semper cavendum; nam, uti auctor non parvi nominis habet, "sola lanceola phlebotoma plures trucidaverit, quam vel aliud quodcunque armorum genus fecisse gloriari possit * ". Non minus igitur expertum quam imperitum medicum, hoc auxilio usurum, omnia ad morbum et aegrum attinentia perscrutari oportet. Vires enim corporis jam vehementer incitatae subita imbecillitate saepe mutan-

* Frank's Delectus Opusculorum, Vol. III. p. 134.

tur: id quod saepe febricitantibus contingit; quos sanguine largius inter initia misso labefactos nulla fere dehinc ope medicus fato eripere valet. Si quis secum animo volvat, quantum idoneus sanguinis motus cerebri munera, imo vitam ipsam regat, facile perspiciet alicui sanguinem missuro considerandum esse, non solum qualiter arteriae moveantur, et quid genus morbi subsit; sed corporis naturam, et alia ejusmodi esse observanda. Mihi igitur propositum absoluturo visum est potissimum exponere, hoc remedium quae vetent, quae sinant; quando opem, quando perniciem polliceatur. Sic vero argumentum distribuere statui.

Imprimis disputandum erit de variis sanguinis mittendi rationibus.

Secundo. De effectibus ejusdem.

Tertio. De quibusdam cavendis aut servandis, quo sanguis rite mittatur.

Quarto. De iis consiliis, quibus exequendis detractio sanguinis accommodatur.

DE SANGUINIS MITTENDI RATIONIBUS.

Qui de medendi ratione, vel *Therapeia generali*, quae vocatur, scripserunt, sanguinem duplici modo mittendum proponere consuerunt; scilicet, aut ea ratione ut venae partis laborantis solius, aut corporis totius quodammodo depleantur. In alterutro efficiendo, summa opus est prudentia: scire enim licet multo plus sanguinis venis cujusvis partis solum, quam totius corporis, impune mitti; cujus rei posthac ratio explicanda erit.

Si medicus velit totius corporis venas aequaliter exinanire, hoc facere solet, venam saepius, interdum arteriam icendo. Minus tuto secatur arteria, cursu nimirum sanguinis veloci, nec facile represso, praeter arterias in tempora dispersas, quae propter sedem ita comprimi possunt, ut fluxus cito quiescat. Arteriae incisio *Arteriotomia* ve-

nae autem *Phlebotomia*, nominatur. Rarius, ut supra proposui, arteriam ferire oportet; propter sanguinem celerius et inaequaliter inde profusum, nec facile repressum. Huc denique accedit, quod arteriis subest sanguis incitatior, stimulantior, et vitae flammae accendendae et alendae accommodatior. Quoties venam caedere consilium est, fere percutere solemus unam e venis brachii, alias aliam; *medianam* nempe *cephalicam*, aut *medianam basilicam*; eo quod aliquanto caeteris grandiores sunt, et deprehensu et caesu faciliores. In plerisque morbis sanguinem mitti desiderantibus, hae saepius feriuntur venae; nisi cuidam potissimum parti materiam subducere oporteat; quando venam aut arteriam huic vicinam secare opus est: nimirum, arteriam temporum aut venam juguli alterutram, si quis *apoplexia* soporatur; vel linguae venas, inflammatis tonsillis*. Quod tamen minus forsan opinione valet.

* Pringle's observations on Diseases of the Army, page 139.

Alii contra perperam opinati vasa sanguinea pene omnia propria fistularum inertium habere, venas a parte laborante quam longissime distantes secuerunt: quo scilicet, humoribus horsum inde confluentibus, pars affecta melius exinaniretur.

Multi igitur contenderunt, pulmone inflammato, brachium ejusdem lateris, alii alterius, rectius eligi, cujus vena ad sanguinem mittendum saucietur. Hallerus * sane, incisis ranae venis, comperit interposito *microscopio*, ad venam vulneratam quam aliorsum sanguinem cursu multo celeriore et intentiore deferri. Quoniam autem vasa irritabilia sunt, et insigni vi resiliendi et se contrahendi donantur, ita ut eorum cava ne minima quidem ex parte unquam vacua sint, et ut circuitus sanguinis vulnere turbatus et inaequalis factus, paulo post ad solitam normam redeat, constat parum interesse, cui venae detrahatur sanguis, si consilium est

* Halleri Elementa, Tom. II. p. 322 et 323.

medico motum cordis et arteriarum in genere sedare.

Quum saepe oportet quam celerrime sanguinem mittere, ut collapsis cerebri vasis, anima deficiat, quidam, ad hoc moliendum, venam utriusque brachii simul feriri jubent. Inflammato cerebro, hoc potissimum opus est; idque facere * solebant Hippocrates et Diocles. Sed longe praestat hoc exequi consilium, venae incisae hiatum ampliando, corpore simul erecto et capite sublimi; ita enim fluxu celerato, anima brevi deficit. Hippocrates, et Galenus haud raro eo usque sanguinem mittebant, ut aeger animo linqueretur. Celsus autem, ille vir insignis, non verborum elegantia et venustate quam solertia et prudentia praeclarior, nunquam huc sanguinem detrahebat: " semperque" ait " finis ante faciendus est quam anima " deficiat."

* Waulbaum de Venae Sectione in Disputationibus Halleri.

Brachium prius ligandum est quam vena secatur; idque paulo ultra partem caedendam: quo sanguis impotens ad cor profluendi, liberius exeat. Antiqui vero, circuitu sanguinis ignoto, brachium citra aeque ac ultra partem ictam ligabant; eo quod* "Tremula inconstansque vena ad Phlebo-"tomi impulsum refugit, aut a sede pro-"siliit".

Quali ferramento sit utendum, quo vena rite secetur, quomodove artifici ipsi agendum, vix meum est exponere. Quippe quod satis notum est, et per omnes fere libros de re *chirurgica* conscriptos clare explicatur. Quousque tamen auxilium propositum ad medicum pertineat, quando et quatenus adhibendum sit, aut evitandum, paulo fusius disserere in animo est.

Cum sanguinem alicui parti soli subducere oportet, id medici moliuntur, imponen-

* Enarrator sic observavit in ejus enarratione super libr. II. cap. 10. Celsi.

do hirudines, aut parte prius ferro lacerata, cucurbitulas; vel si hoc facere minus liceat, ut si quis *ophthalmia* laborat, venulas distentas ope scalpelli dilacerando, id est, scarificando, uti Celsus ait. Hac vero ratione, sanguis per cucurbitulas mittitur: primum cutem incisura multiplici per instrumentum ad eam rem idoneum, scarificare oportet; huic imponitur cucurbitula; qua aëre privata et vacua, necesse est sanguine celeriter impleatur. Cursus sanguinis etiam facilior erit, et liberior, si pars dilacerata aqua tepida foveatur, vel quoquomodo tepefiat.

Quoniam summa cutis aliquanto minus exasperatur, hirudinibus utendis quam scarificando, si quem istiusmodi morbus occupet, ut sanguinem pluries ex eadem parte mittere opus sit, non raro has imponere longe praestabit. Nec vero semper; sunt enim corporum proprietates aliae atque aliae, quae faciunt ut non omnibus idem conveniat remedium, etiam eodem morbo aegrotanti-

bus. Interdum igitur cutis hirudine morsa tumet, incalescit, et inflammatur; imo vasa *lymphatica* et *glandulae* ad haec pertinentes ejusdem inflammationis participes fiunt. Rarius tamen haec eveniunt.

Nondum pro comperto habemus, quantum hirudo sanguinis exsugat. Certe haud exiguus est modus; propter vim insignem se ampliandi et contrahendi, hujusce vermis propriam. Plerique existimant, quot hirudines se ad cutem applicent, tot fere sanguinis uncias sorberi *.

DE SANGUINIS MITTENDI EFFECTIBUS.

Quoties sanguis, percussa vena, non ultra modum idoneum mittitur, aliquid demitur toti sanguinis et humorum circumeuntium moli. Hinc cordis, arteriarum et vena-

* Parr's Medical Dictionary—article Blood-letting.

rum actio sedatur; quippe quae minus intenta et repleta fiunt: tardiusque et lenius movetur sanguis. Quomodocunque enim sanguis vasa cieat, mole an vi propria ipsi insita, his an potestate incitatrice, qua eum donat coeli spiritus in pulmones ductus, hisve simul omnibus, necesse est ut, dempto sanguine, cor arteriae quae tardius, exilius, et lenius micent; id quod fere sanguinem ablatum sequitur. Quod si vasa prius ultra naturam opplentur, quam vena secatur, tantum sanguinis missum, quantum vasa onusta expediret, motum arteriarum, antea remissum, velociorem, pleniorem et validiorem reddet *. Quinetiam, aliquando, inflammatis quibusdam visceribus, praecipue ventriculo et intestinis, cavendum est, ne arteriae languide et exiliter agentes medicum minus artis expertum fallant; quae sane, misso sanguine, plenius, validius, molliusque illico moventur †. De hujus rei ratione, multi

* Huxham on Fevers, p. 7.

† Cullen, Sect. CCCXCIII.

multa sunt hallucinati; de quibus optime siletur. Motus arteriarum sanguine misso incitatur, in quibusdam exemplis (ut si quando hoc *pneumonia* laborantibus contingit) quia vasa onerata ita expedita spatio quasi ad se contrahenda potiuntur. At vero suspicamur aliunde quodammodo enasci hunc missi sanguinis effectum, inflammatis ventriculo et intestinis. Consensus nimirum intimus, quo haec viscera cum cerebro et corde sociantur, et eorundem munera ad vitam adeo necessaria, faciunt ut singulae corporis actiones, iis inflammatis, aut quoquo modo affectis, extemplo langueant, iterum, inflammatione mittendo sanguine devicta, ad sanitatem rediturae.

Detractio sanguinis efficit, ut reliqui circumeuntis in corpore natura aliquantum mutetur; scilicet ut plus seri, minus autem *cruoris*, et praesertim *fibrinae* ei quam antea subesset: pars enim tenuior cito, tardiùs *particulae* rubrae et *fibrina* renovantur.

Si sanguinis plus justo elicitur, vires ma-

trices labant, secernenda singula et excernenda reprimuntur, corpus friget, infirmatur, et resolvitur. Plurimum sanguinis emissum distentiones nervorum, tremores, animae defectionem, imo fatum ipsum moliri potest.

Vires hac exinanitione labefieri docent vultus inde pallens, arteriarum pulsus languens vel quiescens, vis nervorum concidens, et inde animae defectio, tremores, aliaque jam dicta.

Frigescit corpus, detracto sanguine, quia idonea mole, et satis incitato circuitu sanguinis, omnia membra calefiunt. Quae igitur minus caleant, mole sanguinis imminuta, necesse est.

Syncopen misso sanguini frequenter supervenire jam antea edocuimus; aliis autem quam aliis multo saepius et facilius haec accidit. Quidam adeo debiles et irritabiles sunt, ut illaesa vena animo licti concidant, modo caput ex improviso sublime habeatur: paulo post solitam valetudinem recepturi,

proni supinive facti, quo cerebrum idonea sanguinis copia reficiatur. Medici, his cognitis, animae defectionem saepe modo inferre, modo prohibere, prout opus esset, consuerunt. Hanc igitur in permultis morbis, sanguine celeriter eliciendo, et corpore simul erigendo, facessunt, ut incitationem instantem tollant, non uti vires frangant.

Delirium, vim cerebri et nervorum sedando, sanguis e vena detractus gignit; nec alia ratione, distentiones nervorum, tremores, et ipsam mortem. Quae arteriam grandiorem vulneratam exceperunt subito, cerebro ex improviso potestate incitatrice idonea privato. Cujus rei exemplum notatu dignissimum subjeci, verbis ipsius auctoris * usus.

"Studiosus quidam" ait "ex *Helvetia* oriundus
"febri inflammatoria laborabat, venam secare jubet Dom.
"Praeses, qua secta, sanguinisque unciis circiter octo
"detractis, incidit in *Asphyxiam* plenariam, ita ut plane
"pulsus deficeret et respiratio cessaret; in statu hoc
"perseverat duas integras horas, quibus elapsis, aptis

Nec alienum foret inquirere quid moliatur sanguis parce, sed frequentius emissus. Sanguis, cibo sumpto et concocto, cito renascitur; et parce detractus, incisa vena, non eo vires corporis infirmat, ut ipse non celeriter fieret. Arteriae autem, proprio suo incitamento ita aliquamdiu imminuto, humores excernendos et secernendos minus libere profundunt. Quo fit, ut homines, quibus sanguis certis tempestatibus hac ratione mitti solet, pinguescant et impleantur; nec raro ad aquam intercutem, aliosque morbos longos subeundos propensi fiant.

Quales habeat effectus proprios sanguis venis alicujus partis ereptus, paucis antea disserendum esse videtur, quam hunc argumenti propositi locum relinquo. Sanguis e parte missus efficit, ut vasa huic proxima deonerentur; tantoque magis, quanto plus sanguinis eliceretur: nimirum, propter istud

"adhibitis remediis, tandem ad se rediit." Camerer. de Signis Mortis diagnosticis, edd. in Frank. Delect. Opusculorum.

pulcherrimum ramulorum inter se commercium, quo membra corporis quasi invicem vinciuntur. Illud etiam potissimum teneri oportet, multo plus sanguinis impune e venulis alicujus partis, quam e vena brachii detrahi. Nec latet ratio: hic enim cursu veloci, fluminis adinstar, profluit; illic vero, lente, tardeque manat: hic igitur collapsis vasis, plenitudo et tensio summoventur; illic vasa paulatim expedita resiliunt et facile se moli imminutae accommodant. Hoc summa solertia praeclarus Fordycius * exposuit; cognitu dignissimum, quippe quod fere solum perspectum in alterutro genere sanguinis mittendi deligendo, medici judicium dirigit.

* Dissertation on Fever, No. IV. page 50. "If "blood be taken quickly and in considerable quantity "from a blood-vessel, the larger vessels are emptied in "greater proportion, the smaller ones not having time "to contract and supply the larger ones with blood."

DE QUIBUSDAM CAVENDIS AUT SERVANDIS,

QUO SANGUIS RITE MITTATUR.

In hoc remedio ministrando, prius inquisitione et consulto, dein mature facto opus est. Nihil fere utilius est, tempestive, nil nocentius et infestius, temere et inconsulte adhibitum. Quocirca non nisi medico prudenti, artis experto, hoc licet remedium experiri. Sunt enim morbi ejus generis varii et multiplicis, ut eorum signa hoc auxilium, alia desiderare, alia vetare videantur: vel qui alias aliter curandi sint. Scilicet, qui ineuntes venam secari postulare videntur; progressi vero, nova prorsus accepta forma, huic exinanitioni ferendae inhabiles fiunt, imo praecipites in fatum ruerent, si vena incideretur. Hujusmodi praesertim sunt febres multae continuae, quae inter principia, incitationem sedari, versus finem, vires con-

cidentes sustineri desiderant. Gregorius quam optime monuit *, "ab intempestiva "sanguinis detractione corpori inferri perni"ciem, quantam neque optimi medici peri"tia, neque omnia medicinae subsidia pos"tea compensare potuerunt."

Quoties adeo in ancipiti res versatur, medici erit prudentis, initio exiguum lentumque rivum, quam minime patula vena, detrahere: dein expectare et videre, hoc ne factum juverit, et inde judicare, recte an secus iteretur. Quoniam nonnulli facile animo linquuntur, melinsque sanguinem parcius et vicibus plerisque, quam amplius unica vice mitti patiuntur, his potius interjectis spatiis exiguis, rivus minor eripi debet. Nisi equidem istiusmodi sit valetudo, ut subsidio praesentissimo opus sit, ad vitam conservandam; uti, si quis *Apoplexia* morbove simili conciderit, quae nunquam fere non vasa protinus exinaniri postulat.

* Conspectus Medicinae Theoreticae. S. DLXXIII.

Quaedam inflammationes caute et prudenter scalpellum venae adhiberi requirunt. Hujusmodi est angina maligna; quae semper tantam imbecillitatem habet, et adeo prona est ad gangraenam, in quam profecto praeceps ruit, ut fatum ipsum manum audacioris venam ferientis sequeretur. Idem quodammodo saltem dici potest de plerisque inflammationibus *erythematicis;* quales scilicet aut summam cutem, aut intus conversae, membranas *mucosas* male habent. Hic non nisi pauxillum sanguinis recte mittitur, idque inter principia, inflammatione jam exardente, nec viribus multum conquassatis. Hae vero inflammationes aliquanto tardiore pede, quam angina maligna, ad gangraenam tendunt; eoque paulo melius sanguinem mitti ferunt.

Huc accedit *Peripneumonia notha, pneumoniae* affinis, sed multo minore cordis et arteriarum incitatione, imo saepe imbecilla horum actione stipata. Periti igitur est medici, metuentis ne pituita aut sanguis in ani-

mae fistulas profundatur, a sanguine mittendo, quantum id fieri potest, abstinere.

Abs re fore existimo penitus silere de quibusdam corporis humani conditionibus et proprietatibus, quae *indices* quasi existunt, unde discamus, recte an secus venam inciderimus, idve in posterum fieri debeat necne. Nec alienum erit inquirere, quando et quousque his indicibus fides detur aut negetur.

Ex his autem imprimis notandus est arteriarum *pulsus*. Hic validior et plenior, ni alia clare vetent, ad venam icendam hortatur; aliaeque notae fere huic accedentes id faciendum plane ostendere solent. Motus etiam arteriarum durus, exilis et creber, qualis fere quibusdam inflammationibus contingit, praecipueque inflammationi cerebri, eidem jecinoris acutae, et ventriculi aut intestinorum *Phlegmonoideae*, sanguinis detractionem unico praesidio flagitat. Quod si arteriae moventur languide, exiliter et imparibus intervallis, etsi simul crebro, id quod

saepe evenit in febribus malis, angina maligna, inflammatione *Erythematica* ventriculi, aliisque morbis magnam virium resolutionem habentibus, constat venam ferire esse hominem jugulare. Ut supra tamen notavimus, interdum quibusdam visceribus inflammatis, pulmone nimirum, etsi rarius, etiam ventriculo et intestinis, quanquam arteriae micant tum dure et frequenter, tum etiam languidissime et inaequaliter, nihilo secius optimo, imo soli subsidio existit remedium, de quo agitur. Quinetiam, si quis, icto capite aut aliunde *apoplexia* concidit, pulsus arteriarum solito tardiores et quasi * *oppressi*, si ista voce uti liceat, perinde quasi arteriae difficulter micarent, cuidam impedimento obnixae, nequaquam vetare debent, quo minus paulo largius mittatur sanguis: imo vero quo propius ad animae defectionem hoc fiat, eo fere melius. Motus iste

* Huxham: Conspectus Medicinae Theoreticae Gregorianus.

tardus vasa ultra debitum onusta arguit, adeo ut potestas iis desit se facile contrahendi. Misso enim sanguine, protinus arteriae validius, frequentius et liberius exagitantur. Si vero anceps medicus haeret, consilii dubius, in casu hujusmodi, inter sanguinem educendum, digitum rite carpo adhibebit, et sentiendo discet, juverit an laeserit sanguis missus, et nimium an non satis jam profluxerit. Si igitur arteriae concidere, tremere, et quasi digito inaequaliter subsilire coeperint, constat sistendum esse, nec amplius sanguinis absumendum; si contra, exeunte sanguine, arteriae paulatim firmius et crebrius salire incipiunt, eundem recte detrahi manifestum est.

Nec ad arteriarum pulsum solummodo, sed quoque ad *aetatis*, *virium*, et *sexus* rationem respicere oportet, quo remedio proposito rite uteremur. Homo igitur, aetate florens, vegetus, validus sanguinem educi optime perpeti solet; multo melius et facilius quam puer aut senex. Foeminae etiam, ut fertur,

quam mares. At vero ad vires potius quam aetatem spectare oportet; et considerandum est, hae superent an deficiant, magis quam aliquis jam annis consenuerit, an infantia vagiat, an pubertate mediave aetate floreat. Nulla enim aetatis parte, dummodo suppetant vires, vena non tuto secatur, quoties aliqua de causa opus est. "Interest enim," inquit Celsus "non quae aetas sit, neque "quid in corpore intus geratur, sed quae "vires sint."

Siquidem rarius protinus, vena semel incisa, morbus fugatur, medicus judicat recte an aliter sanguinem elicuerit, et iterum necne id fieri deceat, jam misso probe inspecto; uti discat, quantum hic sani hominis proprio distet. Si sanguis crusta tenaci, corii speciem prae se ferente, obtegitur, recte missum esse patet. Quod si tenuior, coagulum laxa compage aut nullum exhibet, vix sine gravi periculo vena iterum feritur. Nec vero crusta, jam dicta quae inflammationes fere denunciat, semper

indici harum certo habenda est: aliis enim, alias, etiam in simili morbo, apparet; imo eidem alias alia fit. Interdum non apparet, nisi sanguine jam secunda aut tertia vice detracto. Alias contra, continuo firma et densa eadem extitit per singulas vices, usque ad venam sexies aut septies incisam: et sane prodit aut abest, accedit aut evanescit, e causis levissimis, nec satis intellectis. Haud raro si artifex facit ut duo vel tria vasa fictilia sanguinem missum accipiant, singula scilicet unciam, una ex his unciis crustam tenacissimam exhibet, caeteris ejus integerrimis. Insuper ea crusta, quam prosequor, minime inflammationum propria est; sed morbis longe alienis urgentibus, interdum reperitur. Heberdenus praeclarus eandem sanguini subesse comperit, apud aegros jam angina maligna aliisque malis ad gangraenam properantibus perituros.* De Haen † haec habet verba "Centies viderunt

* Medical Transactions, Vol. II.

† Ratio Medendi Con. p. 86.

" auditores mei sanguinem malignis in mor-
" bis spissum, urgentique corio tectum." Jamdudum compertum habuerunt medici sanguinem mulieri in utero gerenti detractum tunicam istam prae se ferre firmam et corii similem: cui ideo, quasi indici medicum directuro, minime fidendum est.

Ex jam dictis apparet, eventum saepe judicium medici talem ducem secuti esse falsurum: et aliqua ex parte Brendelio assentimur, qui inquit, * " solum quidem et sine
" conjunctis a respiratione signis, nec repe-
" tendam sanguinis missionem, nec omitten-
" dam suadebit." Denique, scire juvat hanc crustam firmam et crassam, aliis simul notis accedentibus, quae medici judicium dirigant, sanguinis detractionem utilem fore, multo saepius polliceri; coagulum contra resolutum et laxum, sanguine ipso tenuiore et *particularum* rubrarum paupere, venam non amplius icendam esse, testari.

* Ed. Frank. De seriore usu evacuantium 158.

Nec sanguinis missi colorem praeterire oportet: de quo vulgus multa hallucinari solet, prout magis rubeat aut nigricet sanguis. Joannes Hunterus * existimabat profusum sanguinem colorem rubriorem aut saturiorem, ad nigrum vergentem, sibi induere, prout brachium paulo aut multo ante venam incisam deligetur. Quo fit ut, hoc viro praeclaro judice, sanguis etiam ipso initio e vena effusus aliquanto atrior sit, potiusve magis purpureus, quam rivus secuturus. Ille enim jam aliquamdiu, propter artum deligatum, in venis stagnavit; hic vero, exitu jam concesso, et circuitu inde expedito, motuque humoris ex arteriis in venas liberiore, rubrior tandem profunditur; eoque magis, si venae caesae hiatus latius pateret. Celsus † et Joannes Pringelius sanguinis missi speciem perscrutari medicos

* Hunter on the Blood, p. 29.

† Celsus Lib. II. cap. xi. et Sir J. Pringle's observations on Diseases of the army, p. cxxxv.

jusserunt; qui si pigrior, crassior atriorque fluit, amplius esse detrahendum praecipiunt.

Praeter haec, eo parcius aut largius, saepius aut rarius, grandiore aut exiliore venae incisae plaga, sanguinem auferri oportebit, pro corporis *indole* et *natura*. Quibus *temperamentum* adest *sanguineum*, quod apud medicos vocatur, hi prae caeteris opportuni existunt morbis sanguinem eripi desiderantibus; idque exinanitionis genus multo facilius sustinent. Vacat autem ars medica praeceptis perpetuis; et quotidie perspicimus, homines, ne ulla quidem corporis ratione a natura donatos, non optime aliquando sanguinem auferri pati.

Interest etiam, quali vitae genere antea usus fuerit aeger: ignavia et luxu vires contriverit, an labore et temperantia firmaverit; se impleverit, an extenuaverit; his enim firmatus, facile, illis labefactus aegerrime sanguinem educi tolerat.

Jam antea pauca disserui de potestate consuetudinis immensa. Quo nempe saepius alicui, valetudinem parum laeso, vena feriri soleat, eo magis necessarium idem fieri. Hujus rei Galli, maxime sueti exinanitionis, de qua agitur, pleraque exempla praebent. Quam igitur frequenter subire solito cuivis, si forte pulmo inflammetur, plus huic sanguinis mittendum est, quam insueto pari ratione laboranti; paribus simul utriusque aetate, viribus et indole corporis.

Refert etiam, quando mitteretur sanguis; nimirum, an morbo jam ineunte, an increscente, an subsistente, an nunc inclinato. Inter initia missus, morbum frequenter fauste solvit. Neque male mittitur, inter medium morbi furorem; circa finem detractus, dilapsis tandem viribus, ancipiti existit subsidio; quo scilicet tempore, desunt vires, quae tantam tollerent exinanitionem, quanta incitationem gravem probe devincat, et fuget. Quamobrem ipso limine tutissime et utilissime vena icitur. Quam bene Celsus

dixit: "* Sed ut aliquando, etiam primo "die sanguinem mittere, necesse est, sic "nunquam utile post diem quartum est, "cum jam spatio ipso materia vel exhausta "est vel corrumpit corpus, ut detractio im- "becillum id facere possit, non possit inte- "grum." Intra hos tamen limites contineri plane non semper oportet. Tanta enim est rerum copia, totque et tam variae corporum proprietates, ut frequenter felicissimo effectu multo serius vena secatur.

Denique, effectibus hujus remedii longo usu perspectis, juverit an laeserit, infirmaverit, an mala fugaverit, optime ediscitur quando sit utendum, quando fugiendum.

Non minimi interest medicorum considerare, loci aut regionis, ubi habitat aeger, rationem, anni tempestatem coelique statum sub quibus aegrotaret. Quae omnia plus minusve in hoc remedio utendo valent. Convenit inter auctores, eos, qui terras incolunt

* De Re Medica.

aestu intentiore ardentes, vel qui tempestate calida aegrotant, multo pejus, qam qui in regionibus gelu pigris habitant, coelove frigido in morbum incidunt, hoc ferre remedium. Lindius*, qui tam luculenter scripsit de morbis regionum sole exustarum propriis, hoc idem sua auctoritate fulsit. Pringelius idem testatur, cujus sententiam proprio sermone † subjeci. Eandem rem Jacksonius retulit, et nos certiores fecit, raro opus esse hoc auxilio, in terris aestuosis‡, praecipueque aestate et autumno.

Hac jam propositi parte tantum non absoluta, antequam ad proximam transeo, non

* Essay on Hot Climates, p. 266.

† "It is to be observed" (inquit Pringelius) "that "the diseases of winter, and those of summer, differ "considerably as to their cure. Thus, in all winter or "inflammatory diseases, the principal intentions are to "diminish the force of the blood, to relax the fibres, "and to make a revulsion from the parts inflamed; "on which account the lancet and blisters are the chief "remedies." Vide Observations on Diseases of the Army, p. 77.

‡ Jackson on the intermitting Fever of America.

abs re videtur notare, quaeque jam memorata, quae medicum sanguinem missurum dirigant, singula parvi habenda esse, omnia certeve pleraque simul accedentia fide esse digna. Scire licet etiam, plus e morbi natura probe intellecta, quam ex istis praesentibus aut absentibus disci posse: quae sane, siquid dubii subesset, hoc saepe resolvunt. Si autem morbus ejus sit generis, ut elicere sanguinem plane soli sit subsidio, non ab hoc utendo deterreri oportet, eo quod ista supradicta ei adversa videantur; "Satius est "enim, anceps remedium experiri quam "nullum *." Res etiam est notissima, saepe aegrotos sanguinem auferri sustinere, vel ipsius medici opinione melius; idque in morbo periculosissimo. In hujusmodi casu, frequenter utilius est, et sine dubio tutius, venas parti affectae quam proximas, quam grandem istam brachii secare; idque e causis supra expositis.

* Celsus de Re Medica.

QUIBUS CONSILIIS EXEQUENDIS DETRACTIO SANGUINIS ACCOMMODETUR.

Quanquam permulti morbi hoc remedio sanitate mutantur, in plerisque tamen unica ratione juvat. Quamobrem de singulis, qui hoc postulent auxilium, longa oratione disputare nec opus est, nec limitibus angustis, quibus contineor, conveniret. Quod si breviter singulos tractarem, inertiae et negligentiae facile incusarer. His perpensis, in animo est potius inquirere, quibus *consiliis exequendis* remedium, de quo disputatur, idoneum foret; et morbis propositis, in quos maxime valet, hanc partem propositi illustrare. Duncanum eximium imitatus, illum ordinem sequar, quem hic medicus praeclarus proposuit, in libro de *Therapeia* conscripto.

Supra enarravimus remedium, de quo

agimus, molem sanguinis imminuere, et motum cordis et arteriarum sedare; et ideo vasa intenta laxare. Triplex igitur consilium peragendo habilis est sanguinis detractio; scilicet,

I. Molem sanguinis imminuendo.

II. Vasa nimis intenta laxando.

III. Impetum ejusdem sedando.

Necnon alteri facile ex hisce deducendo; nimirum, cursum sanguinis mutando.

I. Siquidem hoc remedium moli sanguinis aliquid demit, plane eo utendum est, quandocunque cor et vasa sanguinea praeter naturam onerantur. Vena igitur recte secatur, quicunque morbi corpore, et praesertim vasis plenioribus enascuntur vel stipantur. Hujusmodi sunt, quos Cullenus Ordini *Haemorrhagiae* subjecit, et quos potissimum alit et fovet nimia sanguinis ubertas. Hic vero, maxime cavendum est a sanguine crebrius, et parce simul, singulis vicibus, mittendo; ne, ut antea diximus, corpus impleatur, et morbus eo ipso auxilio

ingravescat, quo tolli deberet. Hewsonus, vir sane ingenii acerrimi, et *Physiologiae* scientissimus, existimabat hoc remedium in *Haemorrhagias* saepe plurimum valere, haud ulla urgente plenitudine nimia, vires subito conquassando : adeo ut inde, actione cordis et arteriarum imminuta, motus sanguinis pigreat, ipse facilius concrescat*, ideoque fluxus quiescat. Alia vero remedia sunt, habiliora signis molestis levandis, et plenitudini secuturae praecavendae. Qualia, alvi purgantia, cibus parcus, tenuis et simplex, quies omniaque evitata, quae corpus impleant.

Foeminis in utero gerentibus pari consilio vena interdum inciditur, siquid subesset metus, aut corpus justo plenius evasurum videretur.

II. Cum sanguine detrahendo vasa nimis intenta expediuntur, constat singulas fere inflammationes, scilicet *Phlegmasias*

* Hewson on the Blood.

Cullenianas, quibus nunquam non vasa intentiora sunt, hoc auxilium requirere. Imprimis, omnigenae pulmonis inflammationi, modo absit contagio aut febris *typhodes*, hoc opus est.

Pneumonia autem laboranti, quum semper arteriarum summa intentio et incitatio adest, unico praesidio est sanguinis detractio; quam sane praemittere, hominem est, jugulare. Nec morae locus est; celeri enim pede hic morbus sanitate aut morte mutatur. Quamobrem initio ipso, largiorem rivum iterum iterumque profundi oportet, idque plaga amplissima; imo bis uno die, si opus sit. Nec prius desistere licet, quam tandem arteriae bene conquieverint, et spiritus fuerit expeditus. Sydenhamus perhibuit, adulto hoc morbo aegrotanti, fere sanguinis uncias quadraginta esse detrahendas, quo convalescat. Quod in plerisque exemplis verum esse potest. Sed in tanta varietate corporum leges certae et perpetuae esse nequeunt. Quanto mitior urgeat haec inflam-

matio, tanto minus sanguinis mitti debet; tanto plus, quanto gravior. Optime nos monuit Gregorius, inter praelegendum, ne deterreamur, modo vires sinant, a sanguine largissime detrahendo, si spiritus gravis, aliaque signa plane doceant, aut hoc faciendum, aut homini moriendum esse. Incredibile est dictu, quantum sanguinis hic medicus illustris elici jusserit, ubi eventus felix spem peritissimorum superaret. Pari ratione aliae inflammationes, quibus adest febris *Synocha*, angina scilicet, *Rheumatismus* acutus, *Hepatitis* acuta, venam feriri nunquam non desiderant. Quo vehementior subsit his *Synocha*, eo liberius utendum est remedio proposito. Sed hac miti aut nulla, praestat e venis partis inflammatae, vel si id non licet, huic quam proximis, sanguinem trahere; nempe scarificando, aut imponendo hirudines vel cucurbitulas. Quae maxime omnium inflammationum, *Opthalmiae* conveniunt: minus caeteris, nisi jam inclinata febre; aut ubi *Rheumatismus* ex

acuto fit longus, vel *Hepatitis* eandem subit mutationem. Hic vero perraro utile est venam omnino ferire. Quod si, aliquo viscere inflammato, arteriae concitantur, aeger febrit et incalescit, mature hoc fieri debet, sine quo est pereundum. Exemplo sit *Gastritis* aut *Enteritis Phlegmonoidea.* Pringelius equidem declaravit, hoc remedio non mature et satis libere admoto, factum esse, ut inflammationes in *Rheumatismum*, et *Pthisin pulmonalem* toties desierint.*

Si quem *Hepatitis* acuta occupat, in terris aestu solis torridi exustis habitantem, uti India Orientali, periti est medici modice hoc auxilio uti; quod tamen prorsus missum, non minus quam nimis adhibitum, officiet. Corpus simul aliis remediis est exinaniendum.

III. Quinetiam, detractio sanguinis *impetum* ejus intus in corpore sedat, ut supra edocuimus. Impetui autem majori plurimi

* Pringle's Observations, p. 126.

debentur morbi, praecipue apud juniores, vegetos et sanguine plenos: et sive mole humorum justo ampliore, seu propria potestate sanguinis incitatrice enascitur, diminuatur, misso sanguine, necesse est. Hinc juvenes in *phthisin* incasuri, istam perniciem in quibusdam exemplis unice hoc praesidio, aliisque motui sanguinis tardando idoneis, evitaverunt; quorum ope scilicet obstatur, ne *tubercula* inflammentur et exulcerentur. Quocirca, mittere sanguinem parum, nisi his nondum inflammatis, valet. Si talem inflammationem venturam, aut etiam urgentem indicant spirandi difficultas, dolor lateris vel pectoris, cutis incalescens, tussis, durior et crebrior arteriarum motus, non dubitari potest, quin eliceretur sanguis, plus minusve, pro aetatis, virium et morbi ratione. At vero hoc facere, morbo provecto, pulmone nimirum exulcerato, est necem inferre, certeve aliter venturam infirmando celerare.

Apud veteres multo saepius quam recentiores et hodiernos, sanguis emitti solebat ad aestum febrium restinguendum. Usus tandem medicos edocuit hunc longe potius devinci refrigerando, aliisque remediis incitationi reprimendae idoneis.

Fortasse conjicere licet corpora humana nunc quam olim debiliora minus facile hanc exinanitionem pati. Omnes vetustiores crebrius et amplius sanguinem febricitantibus, eripiebant, quam nostrates; idque non raro felici eventu. Hoc porro fecere, vanis rationibus et disciplinis fisi, quae jam pridem obsoleverunt. Neque non in animo est habendum, auctores antiquos, qui toties per scripta tradiderunt se venam febrientibus percutere solitos esse, haud raro non nisi de febre ista *Synocha* inflammationibus juncta disserere. Namque medici cadavera morbis absumptorum inspiciendi insueti, quod de antiquioribus dici potest, nonnunquam levioribus inflammationibus intersunt adeo obscuris, ut spiritu adhuc manente, ne

has quidem affuisse suspicati, febrem solam conspexerint. Quoties post mortem *pleura* costarum et illa pulmonum, altera alteri, adhaerescere reperiuntur, inflammatione, quam praeivisse necesse est, omnino prius ignota? Neque vero dubium est, quin veteres ipsis febrientibus, sine ulla inflammatione, sanguinem abstrahere consueverint, eo consilio ut aestum extinguerent, et arterias concitatas sedarent: quod nuperi et hodierni longe melius, corpus refrigerando et aqua frigida lavando, alvum purgando, aliisque ejusmodi moliuntur.

Febres continuae in tria genera diductae sunt; nimirum, in eas quae *Nervosae*, quae *Putridae* et quae *Inflammatoriae* fere nominantur. Quae tamen voces minus idoneae fortasse sunt habendae, certeque elegantia latina carent. Clarkius * bene notavit nullam febrem rite *Inflammatoriam* appellari; nisi quae viscerum inflammationes comita-

* Dr J. Clarke on Fevers, p. 12.

tur: imo negat se unquam febrem hujus generis reperisse, nullo viscere simul inflammato. *Synocha* profecto aegrotare vix aut ne vix quidem unquam Britannis contingit. Quod si forte eveniat, sanguis crebra nec parca manu mitti deberet. In nullis sane febribus, cor et arteriae non interdum eo concitari possunt, ut hoc remedio opus esse videatur: ita tamen, ut hic status vel naturae febris ipsius tribuendus sit, vel aliunde nascatur. Gilchristius * scriptis mandavit, febres vere *nervosas*, id est, quibus cerebrum et nervi graviter collabuntur, primo die non raro indicia status omnino contrarii exhibere. Qualia sunt vomitus, cibi fastidium, dolor capitis, pulsus arteriarum crebriores duriores et validiores, cutis incalescens, et oculi rubri. Pringelius de febre carcerum propria, et Huxhamus de ea, quam putridam vocat, disputantes, sanguinem mitti jubent, ad arteriarum motum reprimendum.

* Edinburgh Medical Essays, Vol. IV. art. 23.

Idem praecepit Fordycius * et pari consilio; nocentissimam opinatus eam validam cordis et vasorum actionem, in febribus. Hoc porro fieri imperavit Cullenus † ; qui praeceptis clarissimis edocuit, quando febres id remedium flagitarent, et quousque eodem utendum esset. Scire licet autem sanguinis detractionem nequaquam adeo necessariam in febribus curandis existimandam esse, ut non ea carere possimus; et potius febres ipsas per se eadem minime egere, non experienda, nisi quibusdam, ut saepe fit, accedentibus. Haec vero sunt plenitudo nimia, et iste corporis habitus, quem medici *Diathesin Phlogisticam* vocant: quae sanguinem non nisi manu cauta et parca abstrahi sinunt, iis legibus et praeceptis servatis, quae supra comprehensa sunt.

Contra, quandocunque vires dilabuntur, nec cerebrum et nervi, aut cor et arteriae

* Dissertatio 4, pag. 46.

† First Lines.

ultra modum concitari videntur, magis angue et cane vitanda est venae incisio. Tantum enim valet ad vires maturius et gravius frangendas, et ideo ad febrem producendam, aut hominem necandum.

Quoties vasa cerebri febrienti cuivis insigniter concitantur, e capite quam e vena brachii sanguinem detrahere longe praestat. Imprimis quia, venis partis ipsius exinanitis, ejusdem incitatio melius devincitur: deinde, quia talis curatio multo minus vires labefactat, quam sanguinis amplior moles e brachio elicita. Nemo autem ignorat, quantum perniciei infirmitas febrientibus minitatur. Siquando igitur febricitans Britannus vehementer delirat, si arteriae *caroticae* validius digito imposito subsiliunt; si vultus rubet ultra consuetudinem, aliaque ea mala accedunt, quae vasa cerebri concitata ostendunt, longe saepius capiti soli sanguinem detrahi oportet.

Irvinus autem de febribus Siciliae propriis disserens, plura edidit exempla incita-

tissimi motus arteriarum cerebri, optime venis capitis incisis devicti. E cujus libro, quem mecum Doctor Cochrane vir amicissimus communicavit, quaedam excerpta subjeci *.

Haec servare nunquam non maximi refert; praesertim vero in terris aestuosis,

* "We may be satisfied" (ait Doctor Irvinus) "I "think, with admitting the following conclusions, with"out insisting too minutely on the name and nature of "this derangement; 1st, That there is in these fevers "an affection of the brain on its vessels, which yields "to treatment adapted to diminish local inflammation "or excessive action," &c. &c.

Ibidem auctor dicit "General blood-letting, which "was sometimes employed, frequently gave relief. As "far as my observation has gone, however, it was less "advantageous than the topical, especially where de"termination to the head was the strongest."

Iterum "It has appeared to me, that though many "instances of these fevers yielded to venaesection from "the arm, there were others which, though alleviated, "were not cured; the affection of the head returning "and terminating in death, whereas I never knew the to"pical treatment fail." Vide Dr John Irvine's Observations on the Fevers of Sicily, p. 35.

ubi notae eam desiderantes curationem multo saepius, quam in Britannia nostra prodeunt.

Manifestum est Synocham, (quae sola per se existere possit necne, non controversiam movere in animo est) qualis apud nostrates grassatur inflammationibus juncta, non exiguam molem sanguinis mitti postulare. Si equidem vehementior est, et inflammatio valde accenditur, ingentem vim sanguinis mature et unica vice quam pauxillum pluries abstrahere multo erit utilius; cujus rei rationem supra memoravimus. Non foret alienum in hujusmodi casu eo sanguinem mittere, ut anima deficiat.

Febres malignae vel *nervosae* huic remedio maxime sunt alienae. Quod ideo recte praetermittitur, nisi jam enarrata accedunt.

Vena feriretur necne febre flava jacentibus, nequaquam inter medicos convenit. De ipsa autem hujus morbi natura multum inter se discrepant. Rushius sangui-

nem mitti, et omnia dari et servari, quae *regimine antiphlogistico* continentur, strenue monet. Porro M'Lartius * Jamaicensis certiores nos fecit, plerosque apud Kingston medicinam facientes, eodem remedio uti solere. At vero indigenae minus quam alieni eo advecti, hanc ferunt exinanitionem.

Quos febres intermittentes occupant, his male secatur vena, nisi plenitudo nimia vasorum et *Diathesis phlogistica* accedentia, id cogant.

IV. Quum sanguine mittendo humorum cursus mutatur, manifestum est, venam recte caedi, si quando hi inaequaliter distributi impetu vehementiore ad aliquam partem deferuntur. Hac praecipue lege, sanguinis detractio inflammationes partium levat. Exemplo sit inflammatio cerebri *idiopathica;* ubi solemus, ample vulnerata arteria temporum aut juguli vena, capiteque

* Medical and Physical London Journal.

sublimi habito, multum subito auferre sanguinis, donec anima deficiat: qua ratione humores a capite aliorsum vertuntur. His factis, temporibus hirudines aut cucurbitulas imponere non ineptum erit: vel iis solis mittere sanguinem licebit, illaesa grandi arteria aut vena, si cerebri inflammatio plane ad *Typhum* urgentem, uti signum ejus, referenda esse videatur.

Quae supra proposuimus, singulis exemplis humorum in aliquod viscus nimio impetu conversorum pari ratione conveniunt. Eoque magis ista servari oportet, quo munere graviore viscus affectum fungatur; scilicet quo magis necessarium hoc foret ad vitam: vel quo vehementius sit metuendum, ne inflammatio periculosa hoc abnormi humorum impetu enascatur. Cuicunque morbo igitur cursus sanguinis in cerebrum valde augeatur, quandocunque hunc impetum icta calvaria intulerit, aut undecunque *apoplexiam* venturam expectare liceat, summo

fructu vena secatur: vasa capitis optime deonerantur, vena juguli aut arteria temporum incisa. Apoplexiae aut venienti aut jam urgenti unice occurrere aut mederi possumus, hoc subsidio; cui fere soli innitendum est, ut aeger fato eriperetur.

Supra, quaedam disserui de remedii propositi usu ad morbos praecavendos. At vero morem perniciosissimum notare haud alienum judico.

Multi indocti et ignari, si paulo pleniores sunt, aliquantum sanguinis e suis venis mitti curant, certis temporibus, nempe vere et autumno; quae curatio non extenuat, imo potius implet. Cuicunque minitantur perniciem signa gravis morbi venturi, huic sanguinem large detrahi oportet: quod si metus levior aut nullus subest, corpus non tam hoc praesidio, quam temperantia, cibo tenui e frugibus confecto &c. depleri debet. Omnia evitanda sunt, quae irritent aut stimulent; ambulandum est, alvus solvenda

aut per cibum idoneum, aut, si opus est, per medicamenta. Denique illud tenendum est, scalpellum intempestive et inconsulto adhibitum vitae et saluti hominum non esse inimiciorem, quam ipsum gladium aut pessima belli et internecionis instrumenta.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.